



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. An simile possit agere in simile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

cxviii. Resp. 2^o. quodlibet totum habere ex natura sua quaslibet sui partes tantū à similibus partibus penetratas, quantum per rarefactionem extēdi potest naturaliter; nec post rarefactionem partes illas magis condensari posse, quā habuerint partes connaturaliter ante rarefactionem penetratas: sicut tamen elementa rarō sunt pura, & instructa primis qualitatibus summē intensi, ita corpora rarefactibilia rarō sunt in statu præcisē penetrationis connaturalis partium; sed ordinariē habent aliquam rarefactionem & earum expenetrationem; unde fit, quod corpora, quæ utcumque densa videntur, possint magis condensari naturaliter.

cxix. Collige corpora, quæ magis dura & ponderosa sunt, non debere dici densiora, & è contra, quæ magis pervia & levia, non debere dici rariora: sed densiora dici debent, quæ in statu suo naturali habent plures partes in eodem loco penetratas; hinc pulvis tormentarius est summē densus, licet parum durus & ponderosus; rariora verò sunt, quæ in statu suo naturali pauciores habent partes penetratas; hinc ferrum est rarius pulvere tormentario: Ratio horum est 1^o. quia in omnium sententia illud den-

sus est; quod ex natura sua plus habet materiæ sub eadem extensione locali; rarius, quod minus; id autem maximē convenit corporibus densis & raris, juxta nostram explicationem: 2^o. quia authores contrariæ sententiæ durum & ponderosum videntur confundere cum denso, & pervium ac leve cum raro, quæ sunt summē distinguenda, ut patet ex hac Resol. & refutatione aliarum sententiarum (secundum quas ista confunduntur) de condensatione & rarefactione: 3^o. quia densabile dicitur ab eo quod magis possit per certam accidentium extrinsecus advenientium seriem densari, sicuti rarefactibile dicitur ab eo, quod possit magis per aliā accidentium extrinsecus advenientium seriem rarefieri; nam densum & densabile, rarum & rarefactibile distinguuntur, saltem uti album & dealbabile, quod ultimum denotat agens extrinsecum, non verò album; unde debent explicari modo, quo explicamus. Ex his

cxix. Collige ulterius, Corpus Christi in venerabili Sacramento non esse totaliter densum, quia non habet ex natura sua omnes partes penetratas, sed virtute divinā.

DISPUTATIO DECIMA.

De Conditionibus ad agendum Requisitis.

D V B I V M I.

an simile possit agere in simile.

Ante Resolutionem
Suppono 1^o. similitudinem hīc maximē spectari in qualitatibus, ita ut illa dicantur similia, quorum qualitas est una, sive ejusdem speciei.

ii. Suppono 2^o. simile posse agere in simile, 1^o. actione æquivocā, sive per qualitatem specie distinctam ab ea, secundum quam est alteri simile; nam oculus meus producit speciem sui in oculo Petri, manus A. manum B. æque calidam humectat: 2^o. actione, non assimilativā; nam lapis quatuor librarum supra alium lapidem ejusdem gravitatis positus gravitat, & juxta Aristotelem elementa gravitant in loco naturali; ac proinde pars aquæ superior agit gravitando in inferiorem: Deinde ignem magnum absumere & corrumpere parvum experientia constat: verum hæ actiones non sunt assimilativæ; ut patet.

iii. Suppono 3^o. dubium procedere de actione assimilativā in gradu sive per qualitates in intensione similes, & non tantum in specie: ut dubii sit sensus, an calidum ut duo possit in aliud calidum ut duo agere, in illum producendo calorem ulteriorem, & consequenter illum intendendo: pro quo, sit

R E S O L U T I O.

iv. **D**ico, simile in eadē specie qualitatis, & intensiōis gradu, non potest actione assimilativā in passum simile operari, etsi passum hoc excedat densitate, vel magnitudine.

v. Probant faciliē hanc conclusionem, qui dicunt gradus intensiōis esse heterogeneos, ac proinde secundum intensiōis qualitatis gradum, esse imperfectiorem tertio, & tertium quarto, & sic de aliis: se-

cundus enim tertium producere non poterit, quia imperfectior tertio: verum probatum est supra, gradus illos esse homogeneos, quare aliter

vi. Probatur, ex natura ipsarum qualitarum assimilativarum nobis nota à posteriori: duo calida ut duo sibi applicata, nunquam intendunt suum calorem, quantum experimur, ergo, &c. Consequentia probatur; quia de natura rerum debemus ab experientia, & à posteriori judicare; quare enim ignis calorem, aqua frigus, calor ut duo cum calore ut tria calorem in alio ut quatuor producit, & non in seipso; nisi quia talis naturæ, quantum experientia colligimus & à posteriori, ergo, &c.

vii. Confirmatur ex Aristotele hīc cap. 1^o. ubi textu 45^o. ait, nihil pari à simili, nam, inquit, cur potius alterum altero erit passum? etsi fieri queat ut patitur à simili, posset quandoque à se pati; ac proinde se ad octo gradus intendere, contra omnem experientiam.

viii. Nec rectē Respondet P. Ovidius utrumque fore passum & agens respectu invicem; quia si tales possint esse respectu invicem, poterunt & respectu sui ipsius, ut inquit Aristoteles, nec propter aliam rationem non potest idem esse agens & passum respectu sui ipsius actione univocā & assimilativā, quā quia non potest respectu alterius sibi similis esse agens actione dictā & passum; quod si hoc posset, posset & respectu sui ipsius; quia non est minus capax ulterioris gradus, quā alterum simile.

ix. Objeies tamen 1^o. agens necessarium adæquatum & sufficienter applicatum subjecto capaci, necessariū agit: sed calidum ut duo est agens necessarium adæquatum respectu unius gradus caloris producendi; ergo si sufficienter applicatum sit subjecto capaci, scilicet calido alteri ut duo, in ipso producet unum gradum, ac per consequens simile aget in simile: Probatur consequentia; quia non

non est unde determinetur & moveatur ad non agendum, cum passum esse sibi simile non agnoscat (propter quam rationem diximus in Physica duas causas totales eidem effectui producendo sufficere applicatas effectum producere per duas actiones totales) ad cessandum ab actione.

x. Respondetur communiter distinguendo majorem, agens necessarium, &c. necessariò agit, si simul adint omnes conditiones ad agendum requisitæ, conceditur major; si una desit, prout hic, scilicet finis actionis, qui est sibi assimilare passum, negatur major: sed hæc solutio non placet, 1º. quia cum assimilatio debeat esse inter duo similia, nulla agentia æquivoca agunt ut assimilent sibi passum, unde assimilatio non potest esse finis actionis: 2º. quia etiam dato, quòd agentia per se agant ad assimilandum sibi passum, possunt per accidens agere actione non assimilativâ, & productivâ effectus se perfectioris, ut cum asina cum equo producit, non asinam, sed mulum; ergo per accidens simile poterit similiter agere in simile actione non assimilativâ; sed productivâ tertii gradus in calido ut duo sibi simili, licet hoc, ex modo existendi sub unione, sit futurum perfectius causâ ipsum intendente.

Quare aliter

xi. Resp. concessâ majorem, negando minorem, & consequentiam; quia simile respectu similis non est activum, ac proinde multò minus necessarium agens, nec subjectum simile agenti est subjectum capax recipiendi actionem agentis similis, ut patet ex probatione conclusionis; quæ non militat contra causas totales in casu allato.

xii. Objicies 2º. sit ignis calidus ut 5. quidni in lignum approximatum producat calorem ut 4. deinde accedat alius ignis calidus ut 4. intendetur calor in ligno, uti videtur experientiâ consistere, ergo, &c.

xiii. Resp. præfato casu, secundum calidum superveniens, in æquali distantia applicandum ligno, vel non? si prius, non agit in lignum, magis quam duæ candelæ accensæ agant in intermediam accensam, quod referendum est in experientiam & conclusionis nostræ probationem; si posterius, in passo inæqualiter à se distanti, non est augendus calor ad intensiorem ipsius agentis; quia quodlibet agens remissius agit in passum distans; ac proinde ubi primum agens in passum B. v. g. produxit calorem ut 3. alterum intensum ut 4. poterit in ipsum producere calorem ut unum; quia nullum impedimentum; non verò ut duo; quia faceret se solo (si quidem illud ut 5. in passum illud non potest nisi calorem ut 3. producere, ut suppono) se intensius, contra quod militat probatio resolutionis.

D V B I V M II.

an agens, ut agat, requirat præsentiam localem cum passo.

xiv. **A**lii paulò aliter quærun, scilicet, an dari possit actio immediatè in distans, an verò ad agendum requiratur contactus formalis agentis & passi, id est, secundum proprias entitates; an saltem virtualis, id est, ut virtus ipsius agentis, quam in medio produxerit, formaliter tangat passum.

R E S O L U T I O I.

xv. **D**ico 1º. contra Scotum agens totale non potest immediatè agere in distans, id est, non agendo per medium; v. g. sol non potest in

visceribus terræ gemmas, aurum, &c. producere, nisi agat in ærem medium inter se & terram.

xvi. Probatur 1º. ex Aristotele lib. 1º. Meteororum, ubi docet naturam ideo abhorre vacuum, quia alioqui impedirentur influentiæ cœlestes in sublunaria; ergo censet influentias non posse pervenire ad passum distans, nisi continuentur per totum medium.

xvi. Hoc argumentum ridet P. Arriaga, dicens esse imbecillum, quia scilicet, etiam dato vacuo unius ovi corpora sublunaria adhuc possent per collaterales continuatas aëris partes influentias cœlestes recipere. Sed quis non videt Aristotelem loqui, & intelligendum esse, de totali per vacuum aëris discontinuatione? quomodo illud argumentum non est imbecillum, sed robustum valde.

xvii. Nec dicas videri incredibile influentias cœlestes impediendas, ut & calorem ignis luculentissimi, per vacuum uno filo tantum latum. Quia bene impedirentur per laminam calibeam interpositam uno tantum filo latam; quidni igitur per tale vacuum?

xviii. Probatur 2º. experientiâ ordinariâ, si inter me & solem ponatur paries, vel simile corpus opacum, sol me post parietem existentem non illuminabit; sed hujus non potest alia reddi ratio, quam quia agens totale non potest agere in passum distans, quin agat in medio, ergo, &c.

xix. Confirmatur si agens non deberet conjungi passo distanti saltem per virtutem, quam produceret in medio, nulla daretur sphaera activitatis totalium agentium naturalium; sed hoc est contra experientiam; ergo, &c. Probatur major, quia quòd dicta sphaera alicubi terminetur, est, quia agentis activitas consumi debet in medio; alioqui enim cur non esset ad quamlibet distantiam? sed isto casu non deberet, ergo, &c. Vide P. nostrum Daniëlem à S. Iosepho in 1^{am} p. D. Thom. ubi fol. 133. Confirmationem istam doctè expendit.

xx. Objicies 1º. magnes longè positus attrahit ferrum; 2º. fascinantes sive vetulæ, & basiliscus, solo aspectu pueros distantes enecant. 3º. torpedo, quidam piscis, torporem in manu piscatoris, lupus visus raucedinem in gutture viatoris, è loco disito causat. 4º. oscitanti uno oscitat alter, & appetitus movetur in corde à phantasia existente in capite. 5º. candela recens extincta accenditur ab aliâ accensâ aliquo modo distante; & cadaver hominis occisi, appropinquante homicidâ, sanguinem emittit. 6º. fundus lebetis frigit, aquâ superius bulliente; & strophium vino adusto imbibitum ardet illæsum. 7º. unguentum quoddam Paracelsi (quod à nonnullis dicitur pulvis Sympathiæ) applicatum gladio, quo inflatum est vulnus, aut linteo ex vulnere sanguinolento aut purulento, sanat vulnus longissimè distans etsi vulnere non aliter medeatur. 8º. Naphtha, bituminis flos tenuissimus, ab igne à se notabiliter distante inflammatur, ergo, &c.

xxi. Resp. ad 1^{am} experientiam: à magnete per medium fortè quodcumque interjectum diffundi qualitatem contrario carentem, attractivam tamen solius corporis habentis qualitates similes illis, quas habet ferrum, uti experientia docet; idem est de electo, cum hoc tamen discrimine, quòd per quodcumque medium suas qualitates non emittat.

xxii. Resp. ad 2^{am} vetulas illas (& idem est de lupis nonnullis & basilisco) præ senio tabescentes, ex oculis, naribus, & ore, subtile aliquod vene-

Ec 3 num.